


similia esse ex paulò ante dictis perspicuum est. Anguli enim ad D sunt Recti & Perpendicularum CD , angulusq; BCD æquatur angulo CAD : uti & angulus DBC angulo ACD .

Ex hac Triangulorum similitudine & angulorum ostensâ æqualitate facilimè infertur proportionalitas laterum in diversis Triangulis æqualibus angulis oppositorum. Ut enim (pro medio Theorematis membro) in Triangulo ADC crus majus AD se habet



ad crus minus CD : ita in Triangulo CBD iterum crus majus CD sese habet ad crus minus BD . Vel ut BD ad DC : ita DC ad AD . Subjiciemus eadem numeris, qui magis sensibus sunt obvij. Esto latus AB 50. ped. AC 40. BC 30: dividatq; CD perpendiculum pedum 24. basin AB in segmenta AD 32. & DB 18. Erit ergò: Ut AD 32. ad CD 24. ita idem CD 24. ad DB 18. Vel contra ut 18. ad 24: ita 24. ad 32. Medij 24. quadratum 576. utrobique æquatur extremorum 32. & 18. Rectangulo 576. ex mente Theorematis.

Nec minus inde sequitur, crurum anguli Recti ACB Trianguli ABC dati utrumvis esse Medium Proportionale inter Hypotenusam seu basin AB , ejusq; segmentum cruri illi adjacens. Ut enim AB basis anguli Recti ACB in Triangulo ABC ped. 50. ad crus majus AC ejusdem Trianguli 40. ped. ita in Triangulo ADC basis AC anguli Recti ADC ped. 40. ad crus majus ejusdem Trianguli AD (seu ad segmentum basis majori cruri adjacens) ped. 32. Vel contra: Ut AD 32. ad AC 40. ita AC 40. ad AB 50. Ita deniq;: ut AB 50. ad BC crus minus 30. ita idem BC ad segmentum basis minus DB 18. Vel contra: ut DB 18. ad CB 30. ita CB 30. ad AB 50.

VI. In Triangulis Rectangulis Quadratum Hypotenusæ potest Quadrata crurum.

Trian-